



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

946. Quid sit dismembratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

CAPUT SECUNDUM.

De dismembratione, divisione, suppressione, & extinctione Beneficiorum.

PARAGRAPHVS I.

De Dismembratione.

Questio 946. Quid sit Dismembratio?



Espondeo: Est separatio tantum aliquorum fructuum & reddituum beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio vel pio loco applicentur. Castrop. de benef. d. 6. p. 90. §. 10. n. 1. Garc. p. 12. c. 3. n. 1.

Et hinc per eam non extinguitur titulus beneficii; sed hic intactus & indivisus permanet apud Rectorem beneficii, à quo fructus aliqui separantur. AA. iidem II. cit. etsi per eam alteretur beneficium seu Ecclesia, diminuatque in bonis & redditibus suis. Garc. loc. cit. nu. 1. Unde etiam, dum fructus alicujus beneficii uniuntur alteri, remanente beneficio penes suum Rectorem, non tam est unio, quam dismembratio, Garc. l. c. n. 2. Et hinc patet, qualiter dismembratio distinguatur à divisione beneficii; cum per eam, ut dictum, titulus non dividatur, sed eo manente indiviso, pars fructuum ab eo separatur; divisio autem beneficii sit, dum ipse titulus beneficii simul dividitur, & de uno fiunt plura beneficia, v. g. ex una Parochiali duæ; ex uno Canonicatu duo (vel etiam, ut Castrop. Canonicatus, & portio) Tond. qq. benef. p. 3. c. 156. nu. 17. Castrop. loc. cit. n. 3. Garc. p. 12. c. 4. n. 1.

Questio 947. Dismembratio an, & qualiter prohibita, vel permessa?

1. **R**espondeo primo: Dismembratio quorumvis beneficiorum jam dudum prohibita fuit in Concilio Turonensi. c. majoribus. & c. tua. de præb. Lott. l. 1. q. 28. nu. 2. Quia divisiones & dismembrationes Ecclesiarum redolent, & in jure censentur species formalis, & vera alienationis prohibita cadentis sub dispositione Extravag. Ambrosiæ. de reb. Eccl. non. alien. Card. de Luca. de Regular. d. 5. n. 4. & d. 25. n. 4. & d. 27. n. 4. ubi: Regulariter dismembratio dicitur prohibita alienatio, quæ cadit sub Extrav. Ambrosiæ. Non tamen ita prohibita est dismembratio & odiosa in jure, quam unio extinctiva tituli. Lott. l. 2. q. 28. n. 31. de quo paulo inferius, ubi, an cadat sub Regula revocatoria unionum.

2. Respondeo secundo: Tamen permessa est ex causa legitima. c. ad audientiam. de Eccles. adif. Lott. loc. cit. n. 3.

Questio 948. An, & quid possit Episcopus circa dismembrationes faciendas?

1. **R**espondeo primo: Episcopus, aut alter inferior Papæ non potest facere, seu auctorizare dismembrationem sine legitima causa. Card. de

Luca. de Regular. d. 64. n. 9. Lott. cit. q. 28. n. 43. dum verò adest legitima causa, potest id Episcopus. Castrop. loc. cit. n. 1. dum autem Tond. loc. cit. p. 3. c. 36. n. 4. ait, non esse licitum Episcopo beneficium dismembrare vel dividere, nec ex uno duo facere, loquitur de dismembratione beneficii curati. Hinc

2. Respondeo secundo: Non potest Episcopus Parochialem, seu beneficium curatum dismembrare; ita ut redditus ab ea separati applicentur beneficio simplici erecto, vel erigendo. Tond. loc. cit. Castrop. loc. cit. n. 2. vetat enim Trident. sess. 25. c. 16. converti beneficium curatum in simplex hæc verbis: Statuit SS. Synodus, ut Ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæ institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignatâ Vicario congruâ portione non convertantur, non obstantibus quibuscumque gratis &c. Declaravitque S. Congregatio hoc ipsum intelligi quoque debere etiam in parte fructuum. Castrop. loc. cit. Garc. p. 12. c. 2. n. 87.

3. Respondeo tertio: Neque etiam Episcopus separare potest seu dismembrare ab Ecclesia Parochiali beneficia simplicia, seu Oratoria ei unita, tametsi separatis Parochialis non egeret; quis esset Parochialem ex parte in simplicem convertere contra Trident. loc. cit. Garc. loc. cit. id ipsum quoque à S. Congregat. decisum referens Castrop. loc. cit. citans insuper Riccium in præf. fori Eccles. decis. 492. editionis 1. & edit. 2. resol. 383. n. 6. & 7.

Questio 949. An dismembratio requirat necessarium causam, & solemnitatem?

Respondeo affirmative. Tond. qq. benef. p. 3. c. 156. nu. 17. ubi, quod dismembratio fieri non potest nisi subsistente causâ, & cum solemnitatibus requisitis, citat decis. Rota 6. nu. 1. & seq. p. 7. recent. Et quidem eadem causâ, eademque solemnitates intervenire debent, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ requiruntur. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. c. 3. n. 3. ubi, quod eadem causâ & solemnitates requirantur in dismembratione, quæ in unione. Lott. l. 1. q. 28. n. 4. ubi, quod in dismembratione tanquam in alienatione rei Ecclesiæ exigatur & causâ, & solemnitatis concursus. Card. de Luca. de Regular. d. 5. n. 4. ubi: divisiones & dismembrationes omnes, & fortè majores solemnitates exigunt cum iustitia causâ necessitatis vel utilitatis, eo modo, qui in formalibus alienationibus desideratur. Et ibid. d. 64. n. 9. ubi: divisio, vel suppressio, aut dismembratio, aut alia concessio Ecclesiarum redolent prohibitam alienationem, quæ ab Episcopo, vel alio Prælato fieri non potest absque copulativo consensu solemnitate, & iusta causâ. Corrad. præf. benef. l. 3. c. 2. n. 2. ubi: Dismembratio fructuum nullo modo fieri debet, nisi adhibitis debitis requisitis & solemnitatibus ad illius validitatem, una cum iusta causâ, cum ipsa causâ requirantur ac solemnitates in hujusmodi dismembratione.